

partes quæ in iudicio non permanent, propositis edictis vocare, ne cause infinitæ permaneant. — § 1. Si vero apud iudicem initium lis non acceperit, sed tantum conventionali libello quicunque pulsatus est, aut precibus nostræ oblationis clementiæ: jussio nostra super hoc prolata, sive scriptis, sive per mandata iudici fuerit intimata, et ea adversario per eum cognita: etiam sic licebit pulsato ire ad competentem iudicem et per eum suum adversarium simili modo vocare: ut siquidem sui presentiam actor fecerit, causa secundum legum ordinem examinata finem legitimum sortiatur. — § 2. Si vero propositis edictis vocatus ad iudicium venire, et suas intentiones aut per se aut per legitimum (sicut dictum est) procuratorem proponere noluerit: tunc et aliud unius anni spatium ei concedimus: intra quod, nisi suam intentionem fuerit prosecutus, damus licentiam iudici, et absente adversario, partis permanentis allegationes secundum nostras leges examinare: et veritate subtilis requisita, legitimam proferre sententiam. Si vero intra prædictum anni spatium venerit: et suas intentiones exercere voluerit: jubemus iudicem modis omnibus expensas vel sumptus quas propter litem pulsatus permanens in iudicio sustinuerit, ante omnia exigere actorem, et pulsato dare: et sic actorem permanere: donec causa finem secundum leges accipiat. Nam si tantummodo venerit, et expensis sive sumptibus datis solum annale tempus interrumpere voluerit, et iterum a iudicio recedens, usque ad exitum causæ non permanserit: jubemus eum post prædictas edictorum et annalis spatii observationes ab omni cadere actione, quam sibi competere contra pulsatum existimabat. *Deerior namque dolus ejus agnoscitur, qui interruptam iurum licem deseruit, quam qui semel acceptam dereliquit.* Legis autem privilegio, quæ volentibus non imponit necessitatem proprias actiones movere: illis tantummodo uti concedimus, qui nullam secundum prædictos modos adversario moverint questionem.

## EPILOGUS.

Hæc autem omnia obtinere decernimus in causis quæ necdum vel iudiciali sententia, vel amabili conventione, vel alia juri cognita decisione finite sunt, Theodote parens charissime atque amatissime. Illustri itaque et magnifica auctoritas tua presentem nostri numinis legem in perpetuo valituram edictis in hac regia urbe propositis, et præceptionibus in universis provinciis sub tua constitutis jurisdictione directis faciat manifestam: ut omnes ea quæ pro utilitate eorum sancimus, a se custodienda cognoscant. — Dat. 4 idus sept. CP., imp. DN. JUSTIN. P. P. Aug. anno 15, BASILIO V. C. CONS.

## TIT. XIV.

IN MEDIO LITIS NON FIERI SACRAS FORMAS AUT SACRAS JUSSIONES: SED SECUNDUM ANTIQUAS LEGES GENERALES LITES DECIDI.

## NOVELLA CONSTIT. CXIII.

Imp. JUSTIN. AUG. Theodoto sacrorum prætoriorum præfecto.

## PREFATIO.

Omnia secundum nostras leges agi volentes, et harum virtutem servari studentes, perspeximus presentem scribere legem, ad ipsarum legum observationem. Agnovimus enim quoniam quidam iudicum volentes eis qui causas dicunt, tergiversari, et celare suas festinantes dilaciones, excusant se frequenter, dicentes quod sacræ formæ aut sacræ jussiones aut dispositiones spectabilium nostrorum referendariorum insinuatæ eis sunt, tanquam disponentes; quemadmodum oporteat negotium examinari aut iudicari.

## CAP. I.

Et propterea sancimus, ut dum lis examinatur, sive in pecuniariis, sive in criminalibus, aut aliis quibuscunque emergentibus causis apud iudices, sive hic, sive in provinciis, neque pragmaticum typum, neque aliam prescriptionem, neque sacram nostram quamlibet ex scripto aut non scripto jussionem aut dispositionem in hac regia civitate spectabilium nostrorum referendariorum, aut alterius cujuslibet, disponentem eos quomodo decet inchoatum examinare aut iudicare negotium: insinuare iudicantibus, aut insinuatam valere: sed secundum generales nostras leges causas examinari et decidi. Quod enim in legum positum est potestate, non egebit aliqua extrinsecus dispositione. Si quod enim ad nos negotium, apud iudicem jam dictum, aut antequam hoc principium sumat, perspeximus nos hoc per proprium nostrum iudicium disponere et di-

22. In pr. supr. h. c.  
Tit. XIV. — 1. Lib. 1, C. 21; N. 52, c. 13; L. 13, C. de appellationibus. — 2. N. 15, c. 1, in fin. d.; N. 52, c. 13; L. 40, D. de iudiciis, pr. Inst. de offic. iud. — 3. d. N. 52, c. 13; L. ult.

984  
cere: hoc nequaquam alterius iudicis egebit iudicio. Sicut enim a nobis per sacrum (sicut dictum est) iudicium disposita aut decisa, non egebit aliorum examinatione, aut iudicio, aut retractatione aliqua: sic nos (quibus Deus sancienti potestatem donavit) si aliquid iudicium in quolibet negotio protulerimus, non alii iudici hoc committimus sive per formas, sive per dispositiones spectabilium nostrorum referendariorum, aut alterius cujuslibet, quomodo convenit hoc negotium examinari aut iudicari: utpote quia a nobis semel iudicatum est, quod retractari a nullo valeat: his videlicet tenentibus, quando scripta talis aliqua nostra procedit sententia. Si vero aliqua dubitatio iudici de aliqua fiat lege: nunciet ad nostram potestatem, et a nobis expectet causæ scriptam declarationem aut interpretationem, et secundum eam decidat litem. — § 1. Si vero dum causa dicitur, pragmatica nostra forma, aut dispositio spectabilium nostrorum referendariorum, aut alterius cujuslibet, aut aliud aliquid horum quæ dicta sunt omnium, iudicantibus insinuetur, ordinans in his examinationem, aut sententiam, jubemus iudicem quidem omnino non respicere: sed his vacantibus, et nullam penitus habentibus virtutem secundum generales nostras leges causam examinare, et legitimum fini contradere. Si autem hoc non custodierit iudex, decem librarum auri eum subjacere pœnæ: ut etiam aliam nostram majorem indignationem experiatur: eidem pœnæ subjecto et eo, qui presument talem aliquam dictare formam, et ministrantibus ei, et talem aliquam dispositionem facientibus spectabilibus nostris referendariis. Et hæc dicimus sive ex sacra nostra sanctione iudicare quispiam deputatus est, sive ex præcepto iudiciali, sive secundum arbitrium, aut compromissarium schema questionem audit: sive scripto, sive sine literis. Sed vel si quis iudicium propriam despiciens salutem ex aliquo tali presumpserit sententiam proferre: hæc ita infirmam esse volumus, ut neque appellatione ideat, neque ex compromisso inferatur pœna. Nos enim omnes iudices secundum generales nostras leges examinationes et sententias ferre volumus. Illud quoque indubitatum erit, quia neque iudicialis quælibet valebit jussio extra quod ordinatum est hæc nostra lege.

## CAP. II.

Super hoc autem et illud iudices nosse opus est, quia competens est eos, et quæ adhuc et nunc moventur questiones, secundum generales determinare leges, vel si quispiam præcessit impetrens sanctionem, disponentem iudicantis examinationem, aut sententiam. Et enim qui tale aliquid impetravit jam, sententiamque definitivam nondum promeruit, nihil ex his quæ impetravit, prodesse volumus. Si enim semel pervenit sententia definitiva data: nequaquam hæc ex nostra hac perscrutari lege jubemus: licet appellatio subsequata sit, aut retractationis est aliqua species contra sententiam. Eam autem jussionem, quæ non disponit quidem iudicantem, aut iudicare futurum, quomodo oporteat questionem fieri, aut iudicium inferri: causam vero fini studiose tradi legitimo vult: aut actorum imponet editionem, aut iudicem cogit legitimam proferre sententiam, aut simul alium iudicem secundum nostras præstitutas leges et fieri, et valere, et scripto et sine scriptura non prohibemus.

## CAP. III.

Ut autem omnes nostri subjecti et maxime qui litibus atteruntur, nostram pro se noverint providentiam, et nullus hæc sacram nostram circumveniat legem, neque ignorantiam in ea proponat, sancimus in unoquoque negotio initium apud iudicem accipere ex processibus mox, et ante ipsam personarum firmationem<sup>7</sup> inscribi eam, et monumentorum fieri partem: sic enim gestis præfulgens prohibebit ea quæ præter ejus virtutem tentantur circa eam, et circa ipsam forsitan personarum firmationem: et prævaricari eam nitentibus per multa interminata refrenabit a talibus eos presumptionibus, et propriis tempus non sinet fieri pœnis. Ut enim iniquitatem simul et injustitiam per omnia expellamus, propterea presentem posuimus legem, undique eam, et per eam alias cautas et incircumvenientes custodientes reipublicæ leges, secundum quas et nos ipsi imperium, quod Deo dante suscepimus, custodire, nostramque rempublicam ab his legibus muniri semper optamus.

## EPILOGUS.

Quæ igitur plauerunt nobis, et per hæc sacram declarata sunt legem, tua celsitudo servare quidem studeat, omnibus autem palam faciat, propendens quidem eam in hac felicissima civitate, præceptis autem solemnibus utens ad provinciarum presides, ut omnes homines scient eam quam super eos habemus providentiam. — Dat. 10 kal. decemb. CP., DN. JUSTIN. P. P. Aug. anno 15, BASILIO V. C. CONS.

C. contra jus vel utilitatem. — 4. L. 1, § 4, D. ad SC. Turpill. — 5. *Abrog.* N. 125, c. 1. — 6. L. ult. C. de mandat. princip. — 7. L. 1, § 1, de lite pendente. — 7. *Fac.* § 3, Inst. de statistis

## TIT. XV.

UT DIVINÆ JUSSIONES SUBSCRIPTIONEM HABEANT GLORIOSISSIMI QUÆSTORIS.

## NOVELLA CONSTIT. CXIV.

Imperator JUSTINIANUS AUGUSTUS Theodoto sacrorum prætoriorum præfecto.

## PREFATIO.

Nostræ serenitatis sollicitudo præmediis invigilat subjectorum, nec cessamus inquirere, si quid sit in nostra republica corrigendum; ideo namque voluntarios labores appetimus, ut quietem aliis præparemus. Unde ad universorum utilitatem pertinere perspeximus, si sacras etiam jussiones cum competenti jubeamus cautela procedere, ne aliquibus liceat eas pro sua voluntate profiteri.

## CAP. I.

Nam præsentem lege decernimus, nullam divinam jussionem neque per viri magnifici quæstoris adjuvatores, neque per aliam cujuslibet militiæ aut dignitatis aut officii personam, cuiquam iudici confectam, a quolibet suscipi cognoscere, cui magnifici viri quæstoris annotatio subjecta non fuerit, qua continueatur et inter quos, et ad quem iudicem, vel per quam fuerit directa personam: quatenus omni posthac ambiguitate submota, nulla cuilibet excusationis relinquatur occasio: scientibus iudicibus vel administratoribus universis, quod si in quolibet negotio sacrum susceperint jussionem, nisi cui quæstoris viri magnificentissimi fuerit subjecta annotatio, multa viginti librarum auri, et officium eorum simili pœna plectetur: quibus jubemus si qua talis jussio ad eos pervenerit, mox ad prædictum virum magnificum quæstorem referre, aut cum illo qui hæc ingerit, destinare: ut in eum vindicta procedat, quam in falsarios jura nostra constituerunt, Theodote, parens charissime, atque amatissime.

## EPILOGUS.

Quam legem perpetuo valituram celsitudo tua ad universorum faciat pervenire notitiam.

## Ejusdem breve argumentum.

Omnis sacra jussio quæstoris subscriptionem habet: et quibus de rebus publicetur qualemque iudicem det, manifestator. Non repugnat quod jubetur, omne principis rescriptum principis manu omnino subsignari debere. Nam presens constitutio non tollit et abrogat quod in Cod.<sup>5</sup> dictum est, sed addit quod hic statuitur, videlicet quæ a principe subsignari non oportet.

## TIT. XVI.

UT CUM DE APPELLATIONE COGNOSCITUR, SECUNDUM ILLAS LEGES DEBEAT IUDICARI, QUÆ TEMPORE LATÆ SENTENTIÆ OBTINEBANT: NON SECUNDUM EAS QUÆ POSTEA PROMULGATÆ SUNT: ET DE ALIIS CAPITULIS.

## NOVELLA CONSTIT. CXV.

1. Ut cum de appellationibus, et retractationibus, et relationibus iudicium cognoscitur, secundum illas leges controversiæ decendantur, quæ tempore latæ sententiæ et suggestionis obtinebant, non quæ postea promulgatæ sunt. — 2. Si altera litigantium pars renunciet se allegationibus contentam fore, altera vero differat, quasi non contenta, iudex dato unius, et item alterius, et tertii mensis dilationem, his autem præteritis non amplius expectato, sed proferto sententiam. — 3. Quæ causæ ingratitudinis rationabiliter filiis objici possint a parentibus. — 4. Quæ rursum causæ ingratitudinis, rationabiliter possint parentibus objici a filiis. — 5. Ut lugentes, et qui genere illis proximi sunt, nulla de causa intra nonum diem prehendantur vocatione in jus. — 6. De constituta pecunia obligatione et sponsonibus, si quis ita pecuniam constituat aut spondeat, satis tibi facio, aut satis tibi fiet a me, et hoc et illo: aut satis tibi fiet a me, aut hoc aut illo.

Tit. XV. — 1. Constit. Justiniani de filiis liberarum, in fin. infr. — 2. Authent. Gloriosissimi, C. de divers. rescript. — 3. L. 3, l. pen. C. d. t.  
Tit. XVI. — 1. *Fidei tamen* L. 1, D. de pœnis. — 2. N. 75, c. 9, in fin.; L. 7, C. de legibus; L. 27, pr. C. de usuris. — 3. L. 22, § 1, C. de sacros. eccles.; L. un, in fin. C. de contract. iudic. — 4. Authent. Jubemus, C. de iudiciis. — 5. *Fac.* L. 99, in fin. D. de verb. signif. —

Imp. JUSTIN. AUG. Theodoto Orientalium sacrorum prætoriorum præfecto.

## PREFATIO.

Pervenit ad scientiam nostræ serenitatis, quod cum inter Eustathium virum reverendissimum Tholonæ civitatis episcopum, et Pistum, diaconum ecclesiæ Thelmissensis fuisset causa commota, processit a rectore provinciæ definitiva sententia, contra quam appellatio est porrecta. Iudices igitur apud quos appellatio ventilabatur, dubitantes, ad nostram clementiam retulerunt, an secundum leges quæ obtinebant, quando processit definitiva sententia, an secundum tenorem illius legis, quæ post definitivam sententiam a nobis promulgata est, eandem causam examinare deberent. Nos itaque justum esse perspeximus, secundum leges quæ obtinebant tempore latæ sententiæ prædictam appellationis causam examinari, et terminum secundum ipsas accipere. Prævidimus autem et post hæc si quodocunque dubitatio talis emergerit, eam simili ordine terminare.

CAP. I. *Ut causæ appellationum dirimantur ex iis legibus quæ tempore latæ sententiæ obtinebant.*

Ideoque sancimus, si quando de aliqua causa processerit definitiva sententia, et provocatio fuerit subsequata: appellationis examinatores secundum leges quæ tempore definitive sententiæ obtinebant, terminum dare negotio: hoc eodem videlicet observando et in retractandis amplissimæ prætorianæ sententiis, et in suggestionibus iudicum, quando utraque partes omnibus allegationibus suis renuntiaverint, et iudices per suas relationes, quid disponi debeat, interrogaverint. In omnibus enim prædictis casibus illas leges a cognitoribus servari decernimus, quæ tempore sententiæ, aut certæ relationis obtinebant: tametsi contigerit postea legem promulgari novi aliquid disponentem, et tenorem suum ad præterita quoque negotia referentem.

CAP. II. *De his qui post renunciationem adversariorum se allegationes habere dicunt.*

Sed et hoc presentem addimus sanctioni. Quia inter litigatores aliquando contingit unam quidem partem suis allegationibus renunciare, aliam vero scientem se malas causas habere, post cognitionalia certamina, et dilaciones, quas probationum causa leges concedunt, nolle confiteri allegationes sibi sufficere, ne cito causæ qualitas agnoscat: jubemus, ut quando una pars allegationibus renunciaverit, alia vero pars dixerit se habere aliquid quod proponat: iudex negotii modis omnibus eam partem quæ utitur dilacione, compellat intra triginta dies postquam altera pars renunciaverit, quidquid velit, sine aliqua intermissione proponere: quod si non fecerit, tunc ad ejus malitiam convincendam alius unus mensis indulgeatur a iudice. Si vero et sic distulerit, alterius unius mensis ei dilatio præbeat: ita ut si usque ad prædictos tres menses quos litigatoribus protrahentibus concessimus, suas non proposuerit allegationes: tunc cognitor causæ non amplius expectans modis omnibus proferat sententiam legibus consonantem: vel si voluerit, referat, ne litigatoribus male certantibus liceat causarum exitum ultra protrahere.

CAP. III. *Quæ sunt justæ exheredationis liberorum causæ.*

Aliud quoque capitulum presentem legi addendum esse perspeximus. Sancimus igitur non licere penitus patri vel matri, avo vel aviæ, proavo vel proaviæ suum filium vel filiam, vel ceteros liberos præterire, aut exheredes in suo facere testamento, nec si per quamlibet donationem, vel legatum, vel fideicommissum, vel alium quemcunque modum eis dederit legibus, debitam portionem: nisi forsitan probaverint ingrati: et ipsas nominatim ingratitudinis causas parentes suo inseruerint testamento. Sed quia causas ex quibus ingrati liberi debeant iudicari, in diversis legibus dispersas, et non aperte declaratas invenimus: quarum aliquæ nec dignæ nobis ad ingratitudinem visæ sunt: aliquæ vero cum essent dignæ, prætermittæ sunt: ideo necessarium esse perspeximus eas nominatim presentem lege comprehendere: ut præter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in hujus constitutionis serie continentur. Causas autem justas ingratitudinis hæc esse decernimus. — § 1. Si quis parentibus suis manus intulerit. — § 2. Si gravem et inhonestam injuriam eis ingesserit. — § 3. Si eos in criminalibus causis accusaverit, quæ non sunt adversus principem, sive rempublicam. — § 4. Si cum maleficis hominibus ut maleficis conversatur. — § 5. Vel vitæ parentum suorum per venenum, aut alio modo insidiari tentaverit. — § 6. Si nocerit suæ, aut concubinæ patris, filius sese immiscuerit. —

6. L. 9, C. de iudiciis. — 7. Authent. Non licet, Authent. Ex causa, C. de liber. præter. — 8. L. 50, D. de liberis et posthumis: L. 3, D. de injusto rupto, pr. Inst. de exhered. liber. — 9. § 2, Inst. de inoffic. testam. — 10. L. 1, § 2, D. de obsequ. — 11. d. L. 1, in fin. 2, Fend. ad § 2, vers. porro. — 12. N. 22, c. 15, § 1 et 2; L. 59, § 4, D. ad leg. Jul. de adulteriis. — 13. Tit. D. de lege Pompeia de parricid. — 14. L. 17, C. de nuptiis. — 15. L. 4, C. d. t.



§ 7. Si delator contra parentes filius extiterit, et per suam dilationem gravia eos dispendia fecerit sustinere. — § 8. Si quemlibet de prædictis parentibus inclusum esse contigerit, et liberi qui possunt ab intestato ad ejus successionem venire, petiti ab eo vel unus ex his in sua eum noluerit fidejussione suscipere, vel pro persona, vel pro debito, in quantum esse qui petitur, probatur idoneus; hoc tamen quod de fidejussione censusimus, ad masculos tantummodo liberos volumus pertinere. — § 9. Si convictus fuerit aliquis liberorum ex eo quia prohibuerit<sup>16</sup> parentes suos condere testamentum: ut si quidem postea facere potuerint testamentum, sit eis pro tali causa filium exheredandi licentia. Si autem in ipsa prohibitione, sine testamento aliquis ex parentibus decesserit, et alii sive qui ab intestato ad hereditatem defuncti, aut cum ipso filio qui testamentum fieri prohibuit, aut post illum vocantur, sive illi quos heredes, aut legatarios habere volebat, vel qui læsionem aliquam ex prohibitione testamenti sustinuerunt, hoc ipsum approbaverint: secundum alias leges super hoc positas talia negotia terminentur. — § 10. Si præter voluntatem parentum inter arenas<sup>17</sup> vel mimos sese filius sociaverit, et in hac professione permanserit: nisi forsitan etiam parentes ejusdem professionis fuerint. — § 11. Si alicui ex prædictis parentibus volenti suæ filie vel nepti maritum dare, et dotem secundum vires substantiæ suæ pro ea præstare, illa non<sup>18</sup> consenserit, sed luxuriosam degere vitam elegerit. Si<sup>19</sup> vero usque ad vigintiquinque annorum ætatem pervenerit filia, et parentes distulerint eam marito copulare, et forsitan ex hoc contigerit in suum corpus eam peccare, aut sine consensu parentum marito se libero tamen, conjungere: hoc ad ingratitudinem filie nolimus imputari: quia non sua culpa, sed parentum id commississe cognoscitur. — § 12. Si<sup>20</sup> quis de prædictis parentibus furiosus fuerit, et ejus liberi<sup>21</sup> vel quidam ex his, aut liberis ei non existentibus, alii ejus cognati, qui ab intestato<sup>22</sup> ad ejus hereditatem vocantur, obsequium ei et curam competentem non præbuerint: siquidem a tali sanatus fuerit infirmitate, erit ei potestas utrum velit negligentem filium vel filios, aut cognatos, ingratum vel ingratos in suo scribere testamento. Si autem aliquo furoris morbo eum detentum extraneus aliquis viderit a suis neglectum liberis vel cognatis, aut aliis ab eo scriptis heredibus, et pro misericordia voluerit eum procurare: damus ei licentiam attestationem eis qui ab intestato, vel ex testamento jam facto ad furiosum hereditatem vocantur, scriptis dirigere, ut eum procurare festinent. Si autem post hujusmodi attestationem neglexerint, et extraneus in suam domum furiosum susceptum sumptibus propriis usque ad finem vitæ ipsius procurasse monstratus fuerit: eum qui obsequium ac diligentiam furioso exhibuit, licet extraneus sit, ad ejus successionem pervenire decernimus, evacuata institutione eorum, utpote indignorum, qui furioso (sicut diximus) curam præbere neglexerint: ita tamen ut cætera testamenti capitula in sua maneat firmitate.

§ 13. Si<sup>23</sup> unum de prædictis parentibus in captivitate detineri contigerit, et ejus liberi, sive omnes, sive unus, non festinaverint eum redimere: siquidem valuerit calamitatem captivitatis evadere: in ejus sit potestate: utrum hanc causam ingratitudinis testamento suo velit adscribere. Si autem per liberorum negligentiam vel contemptum non fuerit liberatus, et in captivitate decesserit, illos ad successionem ejus venire non patimur, quia non festinaverunt ejus redemptionem citius procurare: sed omnibus liberis in hoc negligentibus res universas ab eodem relictas, ecclesiæ civitatis ex qua oritur, applicari, inventario scilicet sub publica attestatione celebrando, ne quid ex ejus facultatibus pereat: ita ut quicquid exinde ad ecclesiam pervenerit, captivorum redemptioni proficiat. Sed hæc quidem quantum ad personas dicta sunt, quas exheredare non licet, nisi ingratitudinis causas ubique approbari contigerit. Occasionem autem nobis ad generalem legem promulgandam hæc præsens causa noscitur obtulisse. Sed universaliter jubemus, ut si ille qui in captivitate detentus fuerit, liberis non habuerit, et aliis qui ad ejus hereditatem vocati sunt, eum redimere non festinantibus, in captivitate defunctus fuerit: nullus ex iis qui neglexerit, ad hereditatem ejus perveniat, licet ante captivitatem testamentum forsitan ab eo fuisset conscriptum, in quo memoratas personas scripsit heredes: sed hæc quoque institutio heredum infirmata, et cæteris testamenti capitulis in suo robore permanentibus subsistant talium personarum simili modo ecclesiis civitatum ex quibus orti sunt, applicentur, et nullis aliis causis, quam in captivorum redemptionibus expendatur: ut unde illi a suis non sunt redempti, aliorum redemptio procuretur, et ipsorum quoque animæ ex hac causa piissima subleventur. Hoc eodem observando et si aliam extraneam personam ante captivitatem scripsit heredem: et illa sciens se ab eo heredem scriptam, eum redimere a captivitate neglexerit. Hanc autem pœnam contra illos valere jubemus, qui

16. L. 25. C. de iur. offic. testam. — L. 2. C. si quis aliquem testari prohib. — 17. L. 11. C. de inoffic. testam. — 18. L. 19. C. d. t. — 19. Authent. Sed si poss. C. d. t. — 20. Authent. Liberi. C. de epis. aud. — 21. L. 1. § 1. L. 2. L. 4. D. de curat. furios. — 22. Adde L. 3. D. de his que ut iudic. — 23. Authent. Si captivi, C. de epis. et cler. — 24. Adde N. 120. c. 10; L. 21. in fin.

octavum et decimum suæ ætatis annum compleverint. In hujusmodi vero causis quando pro captivorum redemptione necessarium fuerit dare pecunias, si quis proprias pecunias non habuerit, licentia erit ei, si memoratas sit ætatis, mutandi pecunias, et res mobiles vel immobiles supponendi, sive propriæ ipsius sint, sive illius qui in captivitate detinetur: quoniam in prædictis omnibus, quæ pro<sup>24</sup> captivorum redemptione data vel expensa probantur, contractus hujusmodi tanquam a persona suæ potestatis et legitime ætatis factos, ita firmos esse decernimus: nullo eis qui cum hujusmodi personis in memoratis causis quo prædictum est modo contraxerint, præjudicio generando: necessitatem scilicet habente eo qui ex captivitate redierit, tales contractus ratos habere, et eis tanquam suis debitis obligari.

§ 14. Si quis de prædictis parentibus orthodoxus constitutus senserit suum filium vel liberos non esse catholicæ fidei, nec in sacrosancta Ecclesia communicare, in qua omnes beatissimi patriarchæ una conspiratione et concordia fidem rectissimam prædicant, et sanctas quatuor<sup>25</sup> synodos, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, et Chalcedonensem amplecti seu recitare noscuntur: licentiam habeant pro hac maxime causa ingratos eos et exheredes in suo scribere testamento. Et hæc quidem pro ingratitudinis causa decernimus. Generalem<sup>26</sup> autem providentiam liberis catholicis deferentes, jubemus salvis legibus quæ jam de aliis hereticis sunt prolatae et circa Nestorianos et Acephalos, hæc observari, ut si quando parentes inventi fuerint sive Judaico Nestorii furori dediti, sive Acephalorum amplectentes insaniam, et ideo ab Ecclesiæ catholicæ communione separati, non liceat eis alios heredes sibi instituire, nisi liberos orthodoxos<sup>27</sup> et Ecclesiæ catholicæ communicantes, vel liberis non existentibus agnatos, vel cognatos, qui scilicet catholici sint. Quod si forte ex filiis alii quidem sunt orthodoxi, et Ecclesiæ catholicæ communicantes, alii vero ab ea separati, omnem parentum substantiam ad filios tantum catholicos pervenire sancimus: licet ultimas voluntates hujusmodi personæ fecerint contra tenorem hujus nostræ constitutionis aliquid disponentes. Si vero posthac fratres ab Ecclesia separati, ad eam conversi fuerint, pars eis competens, in statu in quo inventa fuerit tempore quo reddidit, eis præbeatur, ut nullam de fructibus aut gubernatione mediæ temporis inquietudinem vel molestiam catholici patiantur qui ante prædictas res detinebant: quoniam hujusmodi rerum, quas ex fratrum parte non communicantium catholici possidebant, sicut alienationem vetamus, ita præteritorum temporum fructus aut gubernationem nullatenus ab his a quibus detenti sunt, exigi vel retractari permittimus. Si autem usque ad finem vitæ suæ in eodem errore non communicantes permanserint: tunc catholicos fratres, vel heredes ipsorum, plenissimo jure domini easdem res possidere decernimus: quod si filii quidem omnes perversi, et ab Ecclesiæ catholicæ communione alieni inventi fuerint, alii autem propinqui agnati vel cognati religionem catholicam colentes, et communicatores esse fuerint approbati eos liberis hereticis anteponi, et eorum hereditati succedere. Si vero liberi et propinqui agnati vel cognati ab orthodoxæ religionis communione sunt extranei: tunc siquidem schema clericorum parentes eorum habuerint: ad ecclesiam civitatis ubi domicilium habebant, res eorum volumus pertinere: ita ut si ecclesiastici intra annale spatium hujusmodi personarum vindicare res neglexerint: eorum dominium nostri fisci iuribus vindicetur. Si autem laici sunt, sine aliqua distinctione substantiarum eorum ad res privatas nostras similiter pervenire sancimus. Quæ obtinere decernimus, etiamsi testamento non facto tales personæ decesserint: omnibus quæ contra cæteros hereticos in aliis constitutionibus disposita sunt, et contra Nestorianos et Acephalos, et alios omnes qui catholicæ Ecclesiæ (in qua prædicte quatuor synodi, et patriarchæ recitantur) non communicant, et successiones eorum, similiter observandis. Si enim pro causis corporalibus cogitamus: quanto<sup>28</sup> magis pro animarum salute providentia est nostræ sollicitudinis adhibenda? Sive igitur omnes memoratas ingratitudinis causas, sive certas ex his, sive unam quamlibet parentes in testamento suo inseruerint, et scripti heredes nominatam, vel nominatas causas, vel unam ex his veram esse monstraverint, testamentum suam habere firmitatem decernimus. Si autem hæc observata non fuerint, nullum exheredatis liberis præjudicium generari: sed quantum<sup>29</sup> ad institutionem heredum pertinet, testamento evacuato, ad parentum hereditatem liberos tanquam ab intestato ex æqua parte pervenire, ne liberi falsis<sup>30</sup> accusationibus condemnentur, vel aliquam circumscriptorem in parentum substantiis patiantur. Si vero contigerit in quibusdam talibus testamentis quedam legata<sup>31</sup> vel fideicommissa, aut libertates, aut tutorem donationes relinquere, vel quælibet alia capitula concessa legibus nominari: ea omnia jubemus adimpleri, et dari illis quibus fuerint derelicta, et tan-

C. de sacros. eccles. — 25. L. 7. § 4. C. de summa Trinit. — 26. Authent. Idem est, C. de her. relicis. — 27. N. 118. c. 6; N. 144. c. 1; L. 18. L. 19. C. de heret.: vide tamen Authent. Gazaros, C. rod. — 28. L. 21. in fin. C. de sacros. eccles. — 29. Authent. Ex causa, C. de liber. præter. — 30. L. 4. D. de inoffic. testam. — 31. L. 8. § 6; L. 15. D. d. t.

quam in hoc non rescissum obtineat testamentum. Et hæc quidem de parentum ordinavimus testamentis.

#### CAP. IV. Quæ sint justæ causæ parentum exheredationis.

Justum autem perspeximus, et e contrario de liberorum testamentis hæc eadem cum aliqua distinctione disponere. Sancimus<sup>32</sup> itaque non<sup>33</sup> licere liberis parentes suos præterire, aut quolibet modo a rebus propriis, in quibus habent testandi licentiam, eos omnino alienare: nisi causas quas enumeravimus, in suis testamentis specialiter nominaverint. Has autem esse decernimus. — § 1. Si parentes ad interitum<sup>34</sup> vitæ liberos suos tradiderint: citra causam tamen quæ ad<sup>35</sup> majestatem pertinere cognoscitur. — § 2. Si venens<sup>36</sup> aut maleficus, aut alio modo parentes filiorum vitæ insidiati probabuntur. — § 3. Si pater nurui<sup>37</sup> suæ, aut concubinæ filii sui sese immiscuerit. — § 4. Si parentes filios suos testamentum<sup>38</sup> condere prohibuerint in rebus, in quibus habent testandi licentiam: omnibus videlicet, in hujusmodi testamentorum prohibitione servandis quæ in parentum persona distinximus<sup>39</sup>. — § 5. Si contigerit autem virum uxori suæ ad interitum, aut alienationem mentis dare venenum, aut uxorem marito, vel alio modo alterum vitæ alterius insidiari: tale quidem utpote publicum crimen constitutum, secundum leges examinari, et vindictam legitimam promereri decernimus: liberis autem esse licentiam, nihil in suis testamentis de facultatibus suis illi personæ relinquere, quæ tale scelus noscitur commississe. — § 6. Si liberis, vel uno ex his in furore<sup>40</sup> constituto, parentes eos curare neglexerint: omnia et hic observari præcipimus, quæ de parentibus furiosis adjungimus<sup>41</sup>. — § 7. His casibus etiam cladem captivitatis<sup>42</sup> adiungimus: in qua si liberos detineri, et per parentum contemptum vel negligentiam non redemptos ab hac luce transire contigerit, nullatenus eorum parentes ad facultates perveniant liberorum, de quibus filii testari poterant: sed omnia in hoc quoque capitulo serventur, quæ et de parentum iura vocantur, et de extraneis scriptis heredibus supra censuimus<sup>43</sup>.

— § 8. Si quis de prædictis liberis orthodoxis constitutus senserit suum parentem vel parentes non esse catholicæ fidei: hæc et in eorum persona tenere, quæ supra de parentibus jussimus<sup>44</sup>. Si tales igitur causas, vel certas, aut unam ex his liberi suis testamentis inscripserint, et scripti ab eisdem heredes, aut omnes, aut certas, aut unam ex his probaverint, testamentum in sua firmitate manere præcipimus. Si autem hæc omnia non fuerint observata, nullam vim hujusmodi testamentum quantum ad institutionem heredum habere sancimus: sed rescisso testamento, eis qui ab intestato ad hereditatem defuncti vocantur, res ejus dari disponimus: legatis videlicet vel fideicommissis et libertatibus et tutorem dationibus, seu aliis capitulis, sicut superius<sup>45</sup> dictum est, suam obtinentur firmitatem. Si quid autem pro legatis sive fideicommissis et libertatibus, et tutorem dationibus, aut quibuslibet aliis capitulis, in aliis legibus inventum fuerit huic constitutioni contrarium: hoc nullo modo volumus obtinere. Et hæc quidem exheredationis aut præteritionis pœna, quantum ad ingratitudinis causas contra prædictas personas statuenda sunt: si quæ autem ex his inter crimina reputantur, earum auctores etiam alias pœnas sentiant legibus definitas.

#### CAP. V. Ut non<sup>46</sup> liceat creditori heredes defuncti pro debito molestare ante novem dies.

Hæc autem disposuimus, ut et parentes et filios a testamentorum injuria liberos reddamus. Cæterum si qui heredes fuerint nominati: etiam si certis<sup>47</sup> rebus jussi fuerint esse contenti, hoc casu testamentum quidem nullatenus solvi præcipimus: quicquid autem minus eis legitima portione relictum est, hoc secundum nostras alias leges ab heredibus impleri<sup>48</sup>. Sola enim est nostræ serenitatis intentio, a parentibus et liberis injuriarum præteritionis et exheredationis auferre: *considerare namque debent parentes, quia et ipsi filii fuerunt, et eadem a suis parentibus speraverunt. Et similiter qui nunc filii sunt debent studere parentum antinos sanare: quia et ipsi parentes fieri desiderant, et a suis filiis optant honorari.* Unde et constat ad utriusque partis utilitatem atque cautelam præsentem legem fuisse prolata: quam ex hac occasione promulgandam esse perspeximus. In aliquo autem negotio disceptantes, invenimus Pulcheriam filiam gratam quidem a sua genetrice fuisse dictam, exheredatam autem testamento nominatam tam in paternis, quam in maternis facultatibus: et talem quidem scripturam, quia dolo eam, et machinatione quorundam compositam fuisse comperimus, nullo modo

32. Authent. In testamento, C. ad Sc. Tertull. — 33. N. 1, in pr. § 2; adde L. 15. pr. D. de inoffic. testam. — L. 7. § 1. D. si tabulis testam. nullæ extrab. — 34. Fac. L. 4. D. de agnoscend. et aliend. liber. — 35. Adde c. 5. § 5, sup. hic; L. 35. D. de religio. — 36. d. c. 5. § 5. — 37. d. c. 5. § 6. — 38. d. c. 5. § 9. — 39. d. § 9. — 40. d. c. 5. § 12. — 41. d. § 12. — 42. d. c. 5. § 13. — 43. d. § 13. — 44. d. c. 5. § 14. — 45. d. § 14, in fin. — 46. N. 60. c. 1, d. c. 5. § 15.

permisimus obtinere: filiam autem heredem patris ac matris jussimus fieri: sicut et in scriptis prolaturum super hac causa nostrum manifestat arbitrium. — § 1. Meminimus<sup>49</sup> insuper legem<sup>50</sup> a nobis fuisse prolata, per quam jussimus nulli penitus esse licentiam corpora defunctorum debui gratia detinere, aut impedimentum eorum facere sepulture. Sed in præsentem quandam cognovimus cujusdam mortui genitorem a sepultura sui filii redeuntem, nomine debiti tenuisse: ideoque piæ et humanæ esse perspeximus talem crudelitatem hac lege piissima coercere. Sancimus itaque nulli penitus esse licentiam, aut heredes, aut parentes, aut liberos, aut conjugem, aut agnatos, vel cognatos, aut alios affines ejus, aut fidejussores, ante novem<sup>51</sup> dierum spatium, in quibus videntur lugere, conveniendi, aut quocumque modo inquietandi, aut aliquam admonitionem eis offerendi, aut in iudicium<sup>52</sup> eos vocandi, sive debiti gratia quod a defuncto descendit, sive alterius cujuscumque causæ nomine ad memoratas personas specialiter pertinentis. Si vero intra novem dierum spatium aliquis ausus fuerit quamlibet de prædictis personis aut aliquam cautionem seu promissionem vel fidejussorem exigere ab ea: hæc omnia invalida esse decernimus. Post novem autem dierum excursum, si quis contra tales personas aliquas habere putaverit actiones, eas secundum leges exerceat, nullo videlicet præjudicio actoribus ex hoc intervallo circa temporalem præscriptionem, aut in alia quacumque legitima allegatione penitus generando.

#### CAP. VI. De<sup>53</sup> constituta pecunia.

Ad<sup>54</sup> hoc, aliud capitulum ad pecuniæ constitutionem seu promissionem respiciens, hac lege prævidimus definire. Sancimus igitur, si quando aliquis aut pro se, aut pro alia persona pecuniam constituerit, vel sponderit, dicens forte cuiquam, *Satis tibi facio*: eum in quantitatem quam dicit, modis omnibus obligari, atque promissionem seu sponsionem suam adimplere, et debitum compelli persolvere. Si quis autem dixerit, *Fiet tibi satis a me, et ab illo, et illo*: illis quidem quos nominaverit, non consentientibus, nullum ex tali voce fieri præjudicium: sed nec ipsum qui hoc dixerit, pro illis personis quas nominavit, aliquam exactionem sustinere: pro se autem, quod secundum leges debere monstratus fuerit, pro rata tantum portione persolvere. Si autem dixerit, *Fiet tibi satis aut a me aut ab illo et illo*: tunc nominatis quidem simili modo non consentientibus nullam fieri præjudicium: ipsum autem qui hoc promiserit, integrum quidem debitum cogi persolvere. Si quis autem dixerit, *Fiet tibi satis*, cum tali verbo, ut impersonaliter dicto, tanquam si nihil promiserit, ita ab omni exactione liberum servari. Si quam autem contra nominatas personas putaverit sibi actionem competere, eam secundum leges adversus eos proponere, et legis auxilio perpotiri.

#### EPITOCUS.

Hæc autem obtinere sancimus in causis omnibus quæ nondum iudiciali sententia, vel amicabile conventionem sopite sunt, parens charissime atque amatissime. Celstudo itaque tua præsentem nostri numinis generalem constitutionem edictis quidem in hac regia civitate more solito proponendis, præceptionibus autem ad provinciarum rectores dirigendis, ad omnium notitiam faciat pervenire. — Dat. kal. febr. Constantinop., imp. DN. JUSTIN. P. P. Aug. anno 15, Basil. V. C. Cons.

#### TIT. XVII.

#### UT NEQUE MILES, NEQUE FOEDERATUS OBSERVETUR DOMUI PRIVATÆ AUT POSSESSIONI ALCUJUS.

#### NOVELLA CONSTIT. CXVI.

Imp. JUSTIN. AUG. Theodoto Orientalium prætoriorum præfecto.

#### PREFATIO.

Cum domini Dei benevolentia ad custodiam nostrorum subjectorum militarium rerum incipit ordinatio. His enim providentia Dei dispositis, Barbarorum quidem incontinentia refrenatur, reipublicæ vero res augeatur. Et quoniam aliqui propriæ salutis pro nihilo facientes utilitatem, milites et foederatos, qui debent pro libertate reipublicæ contra inimicos certare, præsumunt subtrahere, et in privatas suas occupare utilitates: prævidimus per præsentem legem nostram omnibus interdicerere, ut nullum de cætero præsumant militem in quocumque relatum numero, aut foederatum subtrahere, et in sua domo aut in propriis habere possessio-

47. L. 15. C. de hered. instit. — 48. L. 50. C. de inoffic. testam. — 49. Authent. Sed neque, C. de sepulchro violato. — 50. N. 60. c. 1. Adde L. ult. C. de sepulchro violato; L. 2. D. de in jus vocando; L. 36. D. de iudicis. — 51. Fac. N. 153. c. 5, in fin. — 52. d. L. 2. L. 3. D. de in jus vocando — 53. § 9, Inst. de actioib. — 54. Authent. Si quando, C. de constituta pecun.